Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1219

Quelle:
Copyright:

pitulorum numerum abeunt, quorum *Elenchus* continuo ſubjectus eſt. Plerumque unicus unius Patris locus *Capitulum* cenſetur. Patres vero, quos ſolers Coenobita autor defloravit, hi ſunt: *Johannes Chryſ. Beda, Hieronymus, Caſſiodorus, Auguſtinus, Gregorius M. Haimo, Maximus, Origenes, Ambroſius, Iſidorus Hiſp.* quo ultimo ſimplici vice P. V. c. 62. *de tonſura eccleſiaſtica* utitur. *Partis* I. initium eſt: *Pater iſte familias homo dicitur ſimilitudine non ueritate* &c. Finis Operis: *Cuncta tamen per caritatem ſingulorum ſunt. Explicit Liber.*

II. *fol.* 83. Incipiunt *Excerpta* promiſcua ex *Auguſtini* Epiſtolis et quidem: *Auguſtinus uoluſiano in ea epiſtola. Legi litteras tuas in quibus uidi magni cuiusdam dialogi ſpecimen* &c. Adhaeret locus *Hieronymi in Sophoniam, Auguſtini in libro de Sacramentis, Cypriani in Epiſtola de marciale et baſilide ad felicem presbiterum*, quibus litera quadr. ſubſcriptum: *Scribenti Salus. Legenti Vita Eterna. Amen.* Dubium haud eſt, in disjectis his PP. membris plura reperiri, quae ad conſtabiliendam genuinam lectionem conferrent.

Pag. ult. manu *Codici* coaeva legitur haec Donatio: *Huius traditionis teſtimonium percipiat eccleſia fidelium quod miles quidam Timo nomine cum coniuge ſua Tuota de Reginoldisbach quoddam mancipium Uocabulo Perhtoldum ſuper altare S. Georgii tradidit vt cenſum. V. denariorum annuatim perſoluens. fratribus ibi deo ſeruientibus ſub hac dicione deſeruiat. Huius rei teſtes ſunt. Wolfolt de Teraz. Purchardus. Ruodolfus. Wilant de Diupbuſin. Reginprebt.* Ex *Altari S. Georgii* concludo *Traditionem* hanc et ipſum *Codicem* olim pertinuiſſe ad Coenobium *Weltenburgenſe* O. S. B. in *Bajoaria.* Adi, ſi lubet, *Cod.* L. Ambiunt illum utrinque Sec. ſaltem XII. ſcriptae Membranae partem L. III. et IV. *Georgicorum Virgilii* complexae, textu, quatenus aevum pepercit, admodum emendato.

CCCXI.

Codex partim membraneus 282
partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 295. f. per duas columnas non eadem manu exaratus complectitur *Ulrici Engelberti de Argentina* Clari in O. P. Viri, *Teutoniae*que, ut vocant, Provincialis, qui exinde *Pariſios* ad profitendas literas accitus diem clauſit anno 1277. *Summam* ſeu opus vaſtum *de Summo Bono*, ſex alias libris conſtans, quorum tamen hic non niſi primi quatuor, quarto etiam mutilo, habentur; id quod innuit Nota *Codici* praefixa: *Vlrici primus ſecundus tercius completi et quartus incompletus, XXI ſexterni* 1458. Titulus eſt: *Incipit liber de ſummo bono, cuius primus liber eſt de laude ſacre ſcripture* &c. Initium Operis: *Diuinum nobis per organum ſapientie reſultat oraculum* &c.